DE MENSTRUATIONE MORBOSA DISSERTATIO QUAM AD...

Carlo Leonardo



DE MENSTRUATIONE MORBOSA

Dissertatio

QUAM

AD LAUREAM MEDICINÆ ADSEQUENDAM

IN LYCEO PATAVINO PROPONIT

CAROLUS LEONARDI

VERONENSIS



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLI



DE
MENSTRUATIONE MORBOSA

Inter praecipuas causas morborum mulierum ab omnibus recensentur menstruorum anomaliae, ita quidem, ut a pluribus auctoribus hujus fluxus regularitas quasi norma atque mensura pro feminarum salute habeatur. Qua de re mihi in animum venit exponere aliqua circa aberrationes menstruorum a physiologica eorum conditione, ut tali pacto non plane inutili scripto legibus academicis satisfaciam, quae aliquid de re medica conscribere ad lauream adsequendam nos jubent.

Multiplices sunt fluxus menstrui a norma aberrationes, quae omnes facile in sequentem ordinem redigi possunt:

1) Menstrua deficientia, aut nimis parca — Amenorrhoea.

2) Menstrua suppressa (retenta in uteri cavo) — Menostasia.

3) Menstrua profusa — Menorrhoea.

4) Menstrua difficilia, retardata — Dysmenorrhoea.

5) Menstrua quoad locum aberrantia, erronea.

CAPUT PRIMUM

Menstrua deficientia aut nimis parca.

AMENORRHOEA.

Sub Amenorrhoea plurimi pathologorum illam intelligunt statum morbosum, ubi sanguis, qui, aetate, climatis diversitate constitutioneque organismi muliebris spectatis, e pudendis mulierum periodice se-et excerni deberet, aut in effluvio suo morbose retardatur, aut parca quantitate cum difficultatibus excernitur, aut vero penitus supprimitur. Qui etymon vocis spectant solummodo ultimum casum Amenorrhoeam dicunt

Non omnis Amenorrhoea morbosa Cum menses, uti e physiologis scimus, pro diversitate aetatis, temperamenti, climatis, constitutionis, vivendi generis non in omni virgine eodem apparent tempore, sed juxta gradum evolutionis physicae et psychicae valdopere varient, medicus in tractanda Amenorrhoea horum omnium respectum habeat, oportet Nam tunc solummodo Amenorrhoeam morbosam dices, si symptomata adfuerint, quae naturae conamina ad evacuationem testentur, menstrua tamen iis non obstantibus non sequantur. Oriuntur nunc, praeprimis in virginibus constitu-

tionis irritabilis et sanguine plenus, varii genitalium morbi: irritatio idiopathica, sympathica, spasmus, inflammatio aut quicumque alius processus morbosus; depravatio texturae organicae, duramen, scirrhus, polypus, chlorosis, hydrops etc. scenam claudunt symptomata secundaria; cephalaea dirissima, temulentia, susurrus aurium, odontalgia, deliria, angor, palpitatio cordis, melancholia, apoplexia, haematemesis, haemoptoe etc.

Causae Amenorrhoeae dividuntur in *disponentes, occasionales* et *mechanicas*.

Disponentes sunt illae, quae vel a constitutione generali individui, vel a speciali uteri ipsius, vel denique ab educatione vitaeque genere dependent. Immediate praedisponunt ad malum, de quo loquimur, habitus lymphaticus atque nervosus, sensibilitas organorum sexualium justo magis aucta aut delata. E contra educatio ac vitae genus, quae habitum ac sensibilitatem quodammodo modificant, ad causas pertinent mediate agentes.

Si ad haec etiam aliae potentiae debilitantes accesserint uti habitatio in locis depressis, humido-frigidis, paludosis, victus parvus parce nutriens, defectus sufficientis nutrimenti, vita sedentaria, aut e contra labor nimius et ob hunc defectus somni: femellae miserae sub infaustis hisce circumstantiis parum incrementi capient, sed in-

certo titubantes gressu aetati suae convenientem periodum longe superabunt, quin, quod oporteret, menstruis salutarentur.

Caussis occasionalibus adnumerantur: refrigerium aestuanti corpore captum, venaesectiones citra necessitatem institutae, haemorrhagiae variae, dolor atrox, influxus odoris cujusdam penetrantis, abusus purgantium, morbi varii generis, praeprimis inflammationes, febres characteris nervosi, diarrhoea profusa, humorum nobilium jactura, denique animi pathemata graviora, vehemens animi commotio, praeprimis terror, ira, taedium etc.

Sunt denique et caussae *mechanicae* Amenorrhoeam inducentes uti: atresia hymenis, labiorum majorum et minorum vaginae, orificii uteri ex- et interni, uterus abnormiter formatus, aut penitus deficiens.

Pro diversitate caussarum, constitutionis aegrae, morbi durationis morborumque secundariorum, in quos Amenorrhoea transivit, *prognosis* variabit. Sanatu difficilior erit, quae ex caussis praedisponentibus orta fuevit, quam ea, quae occasionalibus originem suam debet; licet posterior saepissime adfectionum acutarum fertilissima fiat mater. Amenorrhoeam longiori tempore durantem, licet omnem impenderis operam, non nisi post longum tempus, saepe post plures annos sanabis,

et si tibi fluxum revocare contigerit, irregularis erit, omnem spernens typum. Amenorrhoea, quae interdum cum moliminibus menstruationis incedit faustiorem exitum sperare sinit. Sunt haec molimina nihil aliud, quam conamina naturae medicatricis medicum in mensibus revocandis adjuvantia. Si haec deficiunt, tunc tristis erit prognosis eaque eo difficilior, quo plures complicationes, in gratiam retentionis sanguinis malorumque consecutivorum, ortae fuerint. Unde jam Hippocrates: *« Menstruatio, quae post sex menses non redit, feminam insanabilem reddit »*.

Menses, qui ex vitalitate aucta retinentur magis faustum admittunt prognosim, quam ii qui ex debilitate emansere, suppressio denique mensium ex causis mechanicis orta in genere nullis vel saltem exiguis premitur difficultatibus, operatione videlicet chirurgica facile amovenda.

Cura Amenorrhoeae in *prophylacticam* et *radicalem* dispescitur. Prior duas dictat indicationes, scilicet:

1) Evolutio causarum praedisponentium impediatur, aut dispositione hisce jamjam indecta, haec quantum in potestate medici est emendetur.

2) Ut causae occasionales sedulo amoveantur.

Indicationi primae satisfit, causas praedisponentes superius memoratas sedulo evitando; in

rarioribus tamen casibus medicaminibus aegram adgrediatur medicus. Si organa genitalia valde sensibilia essent, multo potu diluente balneisque tepidis tractetur aegra: si contrarium locum haberet, balnea frigida, medicamenta tonica, aquae ferratae etc. in usu trahantur, oportet. Secundae indicationi satisfacimus, si evitare jubemus, quae superius titulo causarum occasionalium adtulimus.

Cura radicalis. E praegressis patet, medicum, antequam Amenorrhoeam adgrediatur, probe investigare debere, utrum haec simplex vel complicata, recens vel inveterata, causa vel effectus alius morbi sit.

Si Amenorrhoea simplex, individuum vero debile atque lymphaticum esset, si locus quem aegra inhabitat umbrosus, humide-frigidus et paludosus esset, haecque insuper parvo ac pessimae qualitatis nutrimento vesceretur, tunc methodus stimulans quam maxime conveniret. Medemur in tali casu morbo, si nutrimenta digestu facilia, multum nutrientia, quidquam stimulantia, juscula carnium concentrata, pauxillum vini generosi aegrae porrigi curamus, organismumque debilitatum adhibitis medicaminibus tonum inducentibus, amaricantibus, chinaceis ac martialibus roborare studemus. Quousque Amenorrhoea recens

nullisque aliis morbis complicata fuerit, therapia vix memorata ad illam tollendam sufficiet, in desperatis solummodo casibus ad sic dicta *Emenagoga* confugiendum, quippe medicamina quae a medicis eum in finem praescribuntur ut menstrua, quae aetate, temperamento, habitu vitaeque genere spectatis, jam apparere deberent, aut jamjam procedentia ab injuria quadam, fortiori animi adfectu, frigore aestuante corpore admisso subito suppressa, revocentur. Monendum tamen, quod cum illis cautissime mercandum sit, desistendum ab eorum usu, si irritatio quaedam membranae mucosae ventriculi aut reliqui tubi intestinalis, vel morbosa quaedam adfectio uteri ipsius adesset. Emenagoga celebratissima sunt: crocus, ruta, sabina, absinthium, cinnamomum, diversa praeparata martialia, purgantia drastica, helleborus niger, aloë etc.

Amenorrhoea frigore aestuanti corpore admisso orta, saepissime potui tepidulo levem diaphoresim moventi cedit, praeprimis si aegra, stragulis bene tecta, lectum non deserat. Amenorrhoea, quae animi pathematibus gravibus originem suam debet, praeprimis si subjectum sensibile fuerit, sic dictis antispasmodicis jugulabitur. Adhibentur in hunc finem fomenta ex infuso florum chamomillae cum oleo; interne infusus melissae, florum cha-

momillae, menthae crispae cum borace, praesentibus spasmis cum pulsu debili, parvo, facie et extremitatibus frigidis, urina spastica et diarrhoeis, opium ejusque praeparata.

Amenorrhoea, quam vehementes adfectiones inflammatoriae comitantur, antiphlogistica tractanda est methodo. In tali casu venaesectiones aut topicae depletiones sanguinis ope hirudinum, aut cucurbitarum; interne eccoprotica salina, tartarus tartarisatus, sal ammoniacus, acidum tartaricum egregium adferunt aegrae solatium. Adhibeantur praeterea fomenta emollientia et vapores ad genitalia, pediluvia cum cinere et sale culinari ad genua usque atque clysmata emollientia. Praesente habitu pituitoso, pituita solventibus atque purgantibus eliminetur, necesse est. Conveniunt in hoc casu; infusus lax: Viennensis, sal amarus, arcanum duplic.; in grado majori kermes mineralis, radix jalappae, radix inulae, calamus aromaticus et alia. Amaenorrhoeae, quae causis mechanicis originem suam debet, causarum amotione consulimus. Sic atresiae, tumores aliaque vitia organica, secundum leges chirurgicas tractentur.

CAPUT SECUNDUM

Menstrua Suppressa - MENOSTASIA.

Sauvagesius, et cum hoc et alii auctores, sub menostasia et retentionem et suppressionem menstruorum designarunt, alii eam cum dysmenorrhoea synonymam dixerunt Differt Menostasia ab Amenorrhoea eo, quod illa locum habente, fluxus menstruus jamjam procedens, ab injuria quadam, fortiori animi adfectu, nimia musculorum intensione, victu graviori nimis irritante etc. subito interrumpatur, cum e contra Amenorrhoea mensium, qui antea jam periodice fluxerunt, statuto tamen tempore non redeunt, retentionem designet.

Causae menses supprimentes eaedem fere sunt, quibus menses retineri vel retardari diximus. Nominatim supprimuntur menses durante fluxu facillime saltu, vestimentis partes aëri patentes non satis obtegentibus, nutrimentis digestu difficilibus uti farinosis, fermentationi subjectis, abusu potulentorum frigidiorum; animi pathematibus gravioribus, terrore videlicet, ira aliaque valida animi commotione.

Neque *effectus* quos menostasia pedissequos habet, multum ab iis, qui Amenorrhoeam sequuntur, diversi sunt, nisi quod citius ingruunt rapidiusque ad majora decurrant discrimina: se-

quuntur quippe brevissimo tempore omnium functionum segnities, cephalaea dirissima, asthma, cardiopalmus, barycoia, amaurosis, varices, oedema et ulcera pedum; dyspepsia, singultus periodicus, obstructiones, chlorosis, hydrops; dein haemorrhagiae pulmonum, epistaxis, haemoptoe, etc. Nec desunt casus, ubi vehementissimi dolores extensi aut locum circumscriptum in abdomine occupantes, quibus interdum et inflammatio diversorum organorum et febris accesserunt, aegram excruciabantur.

In *prognosi* facienda, ad ea animadvertat medicus oportet, quae de prognosi in Amenorrhoea instituenda praecepimus.

Nec *therapia* multum ab illa Amenorrhoeae diversa, nam iisdem medicus satisfaciendum habet indicationibus, quas in Amenorrhoeam pertractando enunciavimus. Tales sunt:

1) Causas morbi amovere, et fluxum menstruorum revocare.

2) Symptomata morbosa in gratiam mensium suppressionis orta juxta eorum characteres tractare.

3) Regimen diaeteticum morbo congruum ordinare.

Pro diversitate causarum malum inducentium etiam therapia diversa erit. Quae refrigerio corpore aestuanti admisso ortum debet menostasia

potibus diluentibus, levem diaphoresim moventibus et eccoproticis tractanda erit. Ubi vero fluxus ob animi pathemata gravia suppressus est, tum potulenta refrigerantia, potus Riveri, infusus florum tiliae, infusus herbae melissae, florum chamomillae, in usu urgente antispasmodica fortiora: valeriana, castoreum, liquor cornu cervi succinatus, opium, pulvis Doveri aliaque hujus generis votis respondent medicorum. Quae abusu potulentorum acidorum originem debet menostasia, absorbentibus uti: carbonate magnesiae, carbonate calcis, lapidibus cancrorum etc. tractetur. Si denique sordes gastricae in causa essent, haec emeticis, praeprimis ipecacuanha et purgantibus eliminandae. Symptomata morbosa, quae ex subito suppressu fluxu in lucem veniunt atque non raro discriminis plena sunt, pro diversitate characteris, etiam diversa therapia adgredienda sunt. Sic congestiones ad diversa organa praeprimis ad encephalon, inflammationes synocham aemulantes, haemorrhagiae pulmonum, epistaxis etc. therapiam antiphlogisticam generosiorem expostulant. Qua de causa venaesectiones in brachio, vel uti alii volunt in extremitatibus instituendae, hirudines in interna femorum facie applicandae; pro usu interno nitrum, pulpa tamarindorum, cremor tartari, sal Seignetti, potus diluentes, verbo omnia, quae thera-

piam antiphlogisticam constituunt, aegrae porrigenda Habemus et externa quaedam adminicula, quibus, experientia teste, cura interna egregie sufficitur. Huc spectant: pediluvia, balnea vaporosa, fomentationes et cataplasmata ad genitalia, semicupia aromatica, frictiones femorum cum panno lineo fumo substantiarum resinosarum, vel aromaticarum gravida, denique equitatio, vectio in rheda etc.

In subjectis irritabilibus, spasmis obnoxiis menses revocare studebimus infus rad. valerianae, flor. chamom., herbae melissae, menthae, millefolii, ipecacuanha refracta dosi, pulv. Doveri, opio, assa foetida, castoreo etc. Emenagogorum sic dictorum usus, ad illos saltem restringatur casus, ubi subjecta torpida, constitutionis lymphaticae tractanda habemus. Meminerit tamen medicus quod in iis dispensandis, summa cautela opus sit, quodque exiguis dosibus, saepius tamen repetitis, porrigi debeant.

Quod denique ultimam indicationem adtinet, de ordinando regimine diaetetico videlicet, revocantur ea, quae capite priori de regimine diaetetico praecepimus.

Menstrua profusa - MENORRHAGIA.

Menorrhoea, cujus etymologia significationi non satis correspondet, communi plurimorum pathologorum consensu, illud vocatur profluvium sanguineum ex vasis uterinis, quod quantitate menstruationem superat, alioque, quo contingere solet, tempore apparet.

Quaevis mensium profusa excretio symptomatibus stipatur, quae illam jam antecedere jam sequi solent. Praecursoribus pertinent in pluribus casibus: dedolationis sensus in omnibus partibus, molestiae vertiginosae et cephaloea, lumbago, dolores juxta spinam dorsi decurrentes, anxietas, dyspnoea, cardiopalmus, fugaces cum aestu alternantes horripilationes, siccitas oris, nausea, ipseque vomitus. Sanguis excretus in fluido vel coagulato statu est, interdum pseudo-membranoso, membranae deciduae Hunteri non absimili textu tectus conspiciebatur.

Symptomata, quae menstruationem profusam, quippe qua major sanguinis copia excernitur, quam normalis corporis vigor et integritas concedunt, sequuntur, non minus gravia sunt, quam illa Amenorrhoeae, quin imo aegram quam citissime ad summum vitae discrimen perducunt.

Aberrare potest menstruatio vel quoad quan-

titatem secreti sanguinis vel quoad typum, si videlicet frequentius quam par est, contingat, vel vero aberrat quoad durationem, si diutius quam secus durat. Quantitatem pro diversitate circumstantiarum variare jam e physiologicis scimus.

Cum hac ratione norma dictari nequeat, medicus in casu quolibet determinando eorum, quae physiologia docet, meminerit oportet. Quae typum et durationem catameniorum adtinent, aeque e physiologicis scimus, ea diversimode variare; qua de causa medicus et hic rem juxta physiologiae praecepta dijudicet.

In *causas* menstruationis nimis copiosae indagantes offendimus non raro individua sanguine plena vel et nimis tenera, quibus dispositio ad malum, de quo loquimur, innata est. Favent etiam menstruorum excessui, quae sanguinis adfluxum adaugent, irritationes varii generis uti sunt; vis externe adhibita, irritatio per vapores, manustuprium, injectiones, pessaria; prolapsus, varices, hydatides, uteri variae desorganisationes sicuti scirhus, carcinoma; clysmata et pediluvia irritantia etc; vel e contra quae sanguinis in illa organa influxum impediunt, vel saltem ejusdem ex utero refluxum retardant uti e. gr. parenchymatis uteri et venarum laxitas, torpor aut constrictio. Nec desunt casus ubi aër impurus, humida frigidus,

cibi et potulenta irritantia, medicaminum calefacientium praesertim cinnamomi abusus, emenagoga et drastica in usum vocata; dein motus corporis nimius per cursum vel per saltationem, coitus nimius etc. menses profusos provocarunt.

Prognosis pro diversitate constitutionis, temperamenti, causarum occasionalium, vivendi generis, durationis et quantitatis sanguinis excreti varia erit. Individuum debili constitutione donatum, si frequentiorem sanguinis jacturam passum fuerit, multis ac gravibus collectandum habebit malis, emaciabitur de die in diem corpus, sequetur chlorosis, hydrops, phthisis, tabes, donec ipsorum organorum genitalium morbosa metamorphosis, uberrimus nempe morborum lethalium fons, tristem claudet vitae scenam.

In *cura* menorrhoeae medicus omnis constitutionem ac statum praesentem aegrae nec non momenta causalia exacte scrotetur oportet. Indicationes, quibus satisfaciendum habebit erunt: 1) causam, quae illud producit vel adhuc favet, amovere; 2) secretionem profusam ad normam reducere, et 3) vires dispendio sanguinis nimio prostratas erigere. Quae prima dictat indicatio momenta theurapetica pro diversitate causarum, diversa erunt. Causa licet satis perspecta atque remota, mentibus tamen eo non obstante ruentibus, me-

dicus imminutioni eorum sese accingat necesse est, praeprimis si in gratiam nimii dispendii sanguinis jamjam susurus aurium, temulentia, lipothymia aliaque hujus generis symptomata intraverint. Quae ad ea praevertenda requiruntur, sequentibus absolvuntur. Taceat aegra in lecto quieta situm observans horizontalem; aër illam ambiens sit temperatus; pro usu interno porrigantur acida mineralia uti acid. sulphuricum dilutum, elix. acid. Halleri, acid. phosphoricum in infuso herbae melissae, mentae crispae et piperitae. In casibus vero ubi catamenia profusa in robustis ac bene nutritis apparent, praegressis in- et externis causis irritantibus, cum pulsu pleno, forti, vibrante, praesentibus simul adfectionibus febrilibus vel inflammatoriis sese in plurimis casibus dolore, aestu ac siti nimia manifestantibus, methodus debilitans indicata est. Qua de causa therapia antiphlogistica pro re nata et generosior in usum trahenda; secetur vena in brachio vel, si mavis, in extremitate inferiore, propinentur potulenta frigidiuscula victusque parcus; moveatur alvus lenibus eccoproticis vel clysmate quodam oleoso; atmosphaera aegram ambiens sit temperata, situs in lecto horizontalis resupinus; quies tum corporis tum animi nec ulla ratione turbetur. Remedia externa sic dicta stiptica in talibus casibus peste

magis sunt fugienda. Horum usus tantum ad illos desperatos restringatur casus, ubi profluvium, nulla alia ratione sistendum, vitae flammam extinguere minatur. Si ob nimium sanguinis dispendium aegra symptomatibus nervosis molestari inciperet, summaque obrueretur debilitate, tum pede cito ad nervina stimulantia confugiendum. Olea aetherea, oleum cinnamomi, mentae piperitae, anisi, valerianae, infusum fl. chamomillae, arnicae, rad. valerianae, angelicae, calami aromatici, liquor cornu cervi succinatus, camphora, moschus pluraque alia hujus generis in usum vocata egregio in plurimis casibus coronantur effectu.

Menstrua profusa, quae in gratiam status haemorrhoidalis vel obstructionum viscerum abdominalium orta sunt, amoves, si tibi morbum primarium, praesentis videlicet morbi causam, sufferre contigerit. In hos itaque morbos arma vertas oportet, adgrediaris illos medicaminibus, quae pharmacologis solventia audiunt; qua ratione, si diagnosim justam feceris, profecto morbum secundarium, menstrua videlicet profusa, tolles, quin opus sit temet loculi menstruationis imminutioni accingere. Si autem congestiones haemorrhoidales profusiori menstruorum fluxui subessent, depletiones sanguinis locales, hirudines videlicet in regione lumbali vel in perineo applicitae, egregium

adferrent aegrae solamen. Depletiones sanguinis universales, uti jam superius monuimus, tantum ad illos restringantur casus, ubi symptomata phlogoseos organi cujusdam nobilioris, praesertim uteri, aegram periculo vitae exponerent, quo in casu utique venaesectiones in brachio vel pede instituī debent. Aliter res se habet in haemorrhoidibus, quae ex debilitate atque hinc oriunda laxitate organorum originem trahunt. In his regimen vix memoratum adhibentes aegram summo vitae discrimini adduceremus. Oportet in similibus casibus uti roborantibus, amaris videlicet ac tonicis ut sunt; extractum centaurii minoris, trifolii fibr., millefolii, cardui benedicti, dein chinacea, martialia, aquae martiales etc. ut fibram strictiorem reddamus, viribusque vitalibus jamjam ad imum depressis succurramus. Regimen diaeteticum cuique Menorrhoeae generi adaptatum sit necesse est, si individuum quod morbo adficitur juvenile, robustum ac bene nutritum sit, tum in gratiam therapiae debilitantis adhibitae, etiam pauco, eoque parce nutrimenti victu utatur oportet. Caveat ideo ab omnibus carnibus, vescatur solummodo jusculis carnium tenuibus, vel nutrimentis ex regno vegetabilium sumptis. Sitim largis aquae fontanae haustibus fallat. Contraria indicabitur diaeta, si individuum exhaustum, male nutritum fuerit, morbo-

que oppositae subfuerint causae. Cetera huc facienda jam in praegressis memorata sunt.

CAPUT QUARTUM

Menstrua difficilia, dolorifica - DYSMENORRHOEA.

Quomodocumque demum morbum, de quo loquimur, vocare velis, semper menstrua cum molestiis multis, virium videlicet prostratione, spasmis, doloribus aliisque functionum turbis incedentia intelligas necesse est. Molestiae hae vel tantum prima menstruatione locum habente praesentes esse possunt vel, quod saepe videre est, toties miserculae excruciantur femellae quoties, tempore intercalari praeterlapso, menses denuo fluere incipiunt.

Symptomata, quae menstruationem difficilem jam praecedunt, jam sequuntur, sequentibus complectuntur: dedolatio in omnibus corporis partibus, horripilationes juxta spinam dorsi decurrentes, dolores vehementes spasmodici in regione hypogastrica, lumborum aut dorsi sese ad extremitates inferiores usque extendentes; cephalalgia, vertigo, epistaxis, haemoptoe, anxietatis sensus, orthopnoea; colica inflammatoria aliaeque inflammatoriae adfectiones in epigastrio; colicae nervosae, cardialgia, nausea, vomitus, lipotymia etc. Symptomatum ex serie enumerata non omnia in omnibus indivi-

*

duis aequo tenore in conspectum veniunt. Quae saepissime observantur sunt: dolores vehementes qui sedem suam in ipso utero fixisse videntur, atque jam inflammatorium, jam vero nervosum praeseferunt characterem. Dolores hi, qui proprie *colicam sic dictam catamenialem* constituunt, nimiae hinc inde uteri sensibilitati et spasmis inde natis, frequentius vasis illius sanguine nimis turgidis, vel et leviori inflammationis gradui, subinde lentae texturae organicae hic locorum incipienti et increscenti scirrho debentur. Quoniam, dysmenorrhoea locum habente, sanguis in rarissimis casibus majori quidquam fluat rivo, sed plerumque guttatim extillet, pathologi nonnulli eam cum stranguria aequipararunt. Et revera nostra dysmenorrhoea nil aliud est, quam Aetii aliorumque vetrum auctorum „*stillicidium uteri*".

Causae dysmenorrhoeae sunt diversissimae. Ad ejus genesin, praeter causae excitantis actionem, propriam quoque requiri dispositionem extra dubium positum est. Consistit autem propensio illa in malum de quo loquimur subeundum praeprimis in plethora universali, quae nimiae productivitati ortum debet, quo fit ut functio vasorum uteri turbari debeat. Vitium contrarium, debilitas nempe universalis, erethismo tamen praevalente, idem malum producere potest.

Erant et sunt adhuc modo auctores, qui discrasiam quamdam sanguinis, vel vitium vasorum sanguiferorum; alii, qui abundantem vel deficientem sensibilitatem systematis reproductivi; adhuc alii, qui justo strictiorem aut nimis laxam texturam uteri malo subesse dixerunt.

Causis excitantibus adnumerantur: peccata contra regimen diaeteticum commissa, motus corporis neglectus, aër impurus, debilitas in causam morbi cujusdam praegressi orta; dein potentiae plethorae faventes, aut debilitatem vel sensibilitatem augentes uti: educatio perversa, animi pathemata deprimentia, abortus praegressus, vitia uteri; cicatrices, tumores, indurationes, scirrhus etc. Teste Morgagni malum hocce interdum etiam utero in evolutione sua retento, nimis parvo ortum debet.

Prognosis, pro diversitate causarum dysmenorrhoeam inducentium, admodum diversa erit. In virginibus juvenilibus speramus fore, ut tractu temporis vasa uterina extentioni, quae sanguinis in illis accumulatione producitur, sensim sensimque assuefiant, quo facto et ipsae disparebunt molestiae. Minus fausta erit prognosis, si debilitas universalis, sensibilitas adaucta aut aliae causae, quibus amovendis medicus impar, mensibus difficilibus subfuerint. Infausta redditur prognosis ad-

huc eo quod talia individua raro gravida fiant, et si praegnentur, abortus plerumque sequatur.

In *tractamine* dysmenorrhoeae duas habemus explendas indicationes principales, utpote·

1. Symptomata graviora debellare eorumque causam auferre, et

2. Normalem mensium fluxum restituere.

Causis amotis et ipsi interdum cessant effectus, hinc prior explebitur indicatio causas sedulo amovendo. Ut hoc fiat, remedia naturae symptomatum ex causis diversis originem trahentium adaptata sint oportet. Dispositio, cujuscunque demum sit generis, tractamine congruo devincatur. Sic subjecto plethorico, constitutionis irritabilis, ubi refrigerium praecessit, atque abdomen durum, dolorificum, pulsus vero frequens durus tangitur, tractamine antiphlogistico, egregium praestamus solatium. Dispositio e contra ex debilitate universali, cum sensibilitate adaucta, nervinis, serius roborantibus in usum vocatis, emendabitur. Causae excitantes sedulo amoveantur. Regimen diaeteticum morbo sit congruum, aër impurus emendatur, motus corporis instituatur, debilitas in causam morbi cujusdam praegressi orta medicaminibus congruis tollatur, potentiae plethorae faventes sedulo vitentur, animi pathemata deprimentia fugienda, atque vitia uteri topica congrua methodo tractanda.

Quae secundam indicationem adtinent, normalem scilicet mensium restitutionem, ea in capite primo fusius pertractavimus; quare lector benevolus illa summatim colligere velit. —

CAPUT QUINTUM.

Menstrua quoad locum aberrantia.

Menorrhagia erronea.

Menstruatione ex quacunque demum causa suppressa aut saltem imminuta, vicariae quaedam sanguinis secretiones obtinent, quae, cum a viis naturalibus deviando in aliis plus minusve remotis organis in conspectum veniant, *menstrua quoad locum aberrantia* audiunt. Habent secretiones hae id peculiaris, quod plerumque per periodos menstrua redeant, atque fluxus menstrui ex utero eodem tempore retenti vices agant.

Vix invenies in organismo muliebri orificium naturale aut locum quemdam in superficie membranarum mucosarum aut dermatis externi, in quae, menstruis suppressis, sanguis prorumpens non sit visus. Observationes clariorum virorum circa rem hanc notatae tam multiplices sunt, ut impossibile sit omnes hic adducere. Epistaxis, haematemesis, haemoptoë, mictus cruentus quam saepissime in gratiam menstruorum suppressorum

visae sunt. Nec defuerunt casus ubi sanguis menstruationa excernendus per papillas mammarum, per puncta lacrymalia, per meatum auditorium externum, per superficiem internam tubi intestinalis, per umbilicum, per tegumenta verticis genarum, apicum digitorum etc. extillavit. Secretionibus his vicariis, quocumque demum loco appareant, symptomata quaedam praecedunt, quae motum fluctuantem versus illum locum tendentem, qui sedem secretionis constituit, vel vero congestionem in illo organo, in quo vicaria secretio obtinet, indicant. Sunt tamen et casus ubi symptomata haec exiguae sunt intensitatis, quin imo non raro penitus deficiunt, praeprimis si profluvium hocce jam pluribus vicibus rediverit, et hac ratione organismo muliebri, ut dicunt, habituale factum fuerit.

Causae, quae Amenorrhoeam inducere, vel menses jamjam fluentes subito supprimere valant, etiam malum de quo sermo est in lucem edere valebunt. Interdum et mechanicae causae progenerando malo pares sunt, uti vel concretio, indurationes et cicatrices orificii uteri e. gr. plane ejus defectus etc.

Prognosis in pluribus casibus fausta. Nam haemorrhagiae hae non talibus, ut de aliis scimus, stipantur periculis, quin immo, quod in texturis

tenerrimis e. gr. in pulmonibus locum habet, profluvium sanguineum per longum tempus, non raro et usque ad annos climactericos, ubi menstruatione cessante et ipsum cessabit profluvium, persistere potest, quin turbae quaedam notatu dignae in organismo muliebri excitentur. Pessimi ominis est omnis secretionis vicariae subita suppressio.

Si una cum mensium fluxu, et unum e memoratis coëxisterat profluvium, tum encipitem proferres prognosin, quoniam aegra propter humorum justo majus dispendium facile discrimini vitae exponi potest.

Finis, quem medicus in sananda hac adfectione adsequi debet, in eo positus est, ut naturalis menstruorum fluxus restituatur, quo restituto, et ipsae sua sponte disparebunt anomaliae. Quoad media, quae indicationi huic principali satisfaciunt, eadem erunt, quibus capitibus prioribus menses retentos et suppressos revocari diximus. Monendum tamen in hisce anomaliis sufferendis, praesertim ab acribus excitantibusque emenagogis abstinendum esse, quibus tantum abest ut naturalis menstruorum fluxus restituatur, quin imo potius congestio atque profluvium vicarium adhuc magis augeretur.

Theses Defendendae.

1. *Amenorrhoea non semper morbosa.*

2. *Quibus dolorifica sunt menstrua, raro gravidae fiunt, et si fiunt, abortus plerumque sequitur.*

3. *Petechiae non sunt semper infaustae.*

4. *Hydatides in plexibus choroideis frequentiores quam communiter creditur.*

5. *Genii epidemici cognitio est maximi in cura momenti.*

6. *In sectionibus cadavericis maxime attendendum est, ne morbo adscribatur, quod morti debetur.*

7. *Sudores habituales valetudinem servant, sudorum suppressio morbos innumeros gignit, sudores critici valetudinem amissam restituunt.*

8. *Glacies inflammationem producit, et primum antiphlogisticum sistit.*

9. *Peritonitis per exitus suos sterilitatem inducere valet.*

10. *Non datur morbi forma, quae ab helminthiasi simulari non possit.*

11. *Intra tanta helminthiasis symptomata solum ipsorum vermium excretio tamquam certum habeatur.*

12. *Omnis qui credit musicam ad faciendam medicinam non influere, in errore versatur.*

13. *Inter medicos amicitia perutilis est ac summa laude digna.*

26